

25
3. 1721 8.
DE

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
**FESTINATIONE
STUDIO MEDICO
INFENSISSIMA**

Quam
PROPIPIO NUMINE DIVINO
ET
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

P R A E S I D E

DN. GEORG. DANIEL. COSCHWITZ,
MED. DOCT. EJUSDEMQUE IN ALMA FRIDERICIANA
PROFESSOR PUBL. ORDIN. ET POTENTISSIMI PORUSSOR.
REGIS IN COMITATV MANSFELD. ET APUD
PALATINOS HALENS. PHYSICO MERITISSIMO,
PATRONO, PRÆCEPTORE, HOSPITE AC PROMOTORE
AD URNAM USQUE SINGULARI HONORIS
CULTU COLENDO

PRO GRADU DOCTORIS,

Summisque in Arte Medica Honoribus, insignibus, ac Privilegiis,
More Majorum solenni obtinendis
Horis locoque consuetis Anno M DCC XXI. D. April.
Placidæ Eruditorum disquisitioni submitteret

AUCTOR RESPONSURUS
JOANNES GEORGIIUS ZANDER,
SPANDOVIENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis GEORGI JACOBI LEHMANNII, Acad. Typogr.

DIESER TITEL INAGURALIS MEDICO

ESTINATIO
STUDIO MEDICO
INTERMISSIONA

PROLOGUS INAGURACIONIS

CIVITATIS MONUMENTIS MEDICOIS CO-SCENDA

PER KAROLINUM

DN. CLODOVICO GOSCHIANI
MED. DOCT. ETIOGRAPH. ET IN ALIA FIRMACIONE
PROFESSORIUS ORBIS. ET TOTI TERRIBUS SO

REX IN CORTINA. ANHARDUS ET

PARATIONE. PROKOPIORE. HISTRIE. JO. ROMOLO
AD URNAM. QUDA. SINGULARE. A. HONORI
CULTA. COTTINGO.

PRO CLADE DOCTORIS

SUMMIS DE INGENIO. ET ELEGANTIA. ET DILECTIONE. ET CONSERVATIONE.
MELIOR. MELIOR. MELIOR. MELIOR. MELIOR.

HOC. PRODUCERE. QUDAM. MELIOR. PRO. X. V. D.

LIBERIS. ET. TUTORIS. ET. PUPILLARUM. EPPIC.

IN. CULTOR. ET. SCIENTIA. ET. PRACTICA.

JOANNES. GEORGII. SAMMELER.

SEUNDI. ANNIVERSI.

MELIOR. MELIOR. MELIOR. MELIOR.

ALIAS. GEORGII. YOUNG. LIBRARIUS. ET. PUPILLARUM. TUTOR.



PRO O E M I U M.

Intra Fulcra rei publicæ,
eruditos quoque pertinere Medicos,
certo certius esse nullum restare credo
dubium, si modo levi saltem attenda-
tur oculo, ingens & inevitabilis medi-
cinæ post lapsum utilitas ac necessitas,
qua omnibus ac singulis cujuscunque
conditionis personis commendata existit, ut neque Ma-
gnates Diique terrarum, neque pauperrimæ rusticorum
gentes illa carere valeant: ut tam illi, qui Martis castra
colunt, quam, qui jovis atque Mercurii splendorem ado-
rant, Medicinam corpori ægrototo quærere persæpe neces-
se habeant, cum Morbus, ejusque pedissequa Mors, nec
virtute atque armorum fortitudine, nec Honorum ful-
gore, nec tandem divitiarum splendore flecti se patiatur,
sed unus æque ac alter Artis Machaoniæ sacra in casu ne-
cessitatis adire, ibique auxilium quærere cogatur. Cum
itaque tota res publica secundum singula sui membra sine
distinctione ægrotare poscit ac soleat, prudentioribus di-
judicandum relinquimus, quantum interst̄it rei publicæ,

ut Medicos eruditos, expertos, fideles in gremio suo alat, foveatque; qui, si deficiant, facillimo negotio Morbona truculentissimas clades efficere totamque rem publicam invertere paucissimo temporis spatio valeret, cui tamen Medici eruditi atque experti obviam ire possunt. Quod autem eruditos, expertosque requiramus Medicos, si fulcrum rei publicæ referre debent, nemo nobis vitio vertet, qui ex communi vita didicit, non omnes cultrum coquinarem gerentes esse coquos, multo minus omnes esse Medicos, qui nomen Medici profitentur. Cum Divus senex jam verisimum reliquerit effatum: *Medicos dari nomine quidem multos, rapsè vero valde paucos.* id, quod nostris quoque temporibus verisimum manet, ubi Medicorum quoad nomen & titulum sane tantus prostat ubique numerus, tanquam copia, ut saepissime citius aliquot Medici, quam unus aut alter agroris occurrant, si autem de peritis Medicis inquisitio instituatur, sane valde pauci remanerent hunc titulum re vera merentes. Cum itaque aliquando mente pervolverem, quænam inter alias præcipua aliqua caussa esset, Defectus illius Medicorum eruditorum, peritorumque, sane non potui non cauſam in Festinationem nimiam conjicere, qua plurimi studiorum Medicinæ in curriculo studiorum detinentur, atque laborant. Quid enim communius, quam quod Tyrones Medicinæ, quam primum Academias accesserunt, & vix, ac ne vix quidem prima rudimenta artis salutaris supremis saltim labris degusterunt, statim ad praxeos arca na uno impetu ruant, ægrorum lectulis adstare cupiant, ipsam praxin licet satis intempestive exerceant, atque in hunc finem remediorum polychrestorum, specificorum, for-

formulas hinc inde copiose & sine judicio consarcinent, quibus pro lubitu olim morbos profligare valeant: cum tamen satius esset, si fundamenta theoriae Medicæ vera adhuc trutinarent, verasque rationes, ex puris, limpidisque fontibus addiscerent, quibus deinceps in enucleandis & observandis veritatibus practicis uti valerent, ne in praxi olim constituti, tantas committerent hallucinationes, imperitiam illorum detegentes, & in plurimorum ægrorum damno fese terminantes. Hæc ita mihi pensanti ac ponderanti in mentem venit, haud male actum fore, si placito EXCELLENTISSIMI DOMINI PRÆSIDIS, DE FESTINATIONE STUDIO MEDICO INFENSISSIMA, dissertationem inauguralem conscriberem, meamque pro virili explicarem mentem, in quo consistat & quomodo noceat. Ut autem omnia finem nanciscantur optatum summum veneramus Nūmen quo cæptis nostris annuat, faveat, secundet.

S. I.

REm ipsam itaque adgredientes statim in mentem venit, Dissertationem inscriptam esse, de Festinatione studio Medico infensissima: Itaque mihi incumbere duco, accusatius explicare, quid per festinationem hancce intelligam. Per illam vero non aequa breue temporis spatium, paucumque annorum numerum intelligo, quo aliqui studiorum Academicorum curriculum absolvunt, & in comparatione cum aliis, qui pluribus pro absolvendo studio utuntur annis, festinationem committere videntur: cum optimè sciām, nec studium in omnibus subjectis eidem annorum numero alligari, nec in Academiis solum omnem eruditionem hauriri, sed

per paternam aliamve privatam Instructionem aliquando optima Eruditionis fundamenta jacta esse, pro lucrando tempore in Academiis postmodum inferuentia: sed per Festinationem studio Medico infensam nihil aliud intelligi volo, quam desiderium cito ac impetuose, negle&stis debitis ac summe necessariis adminiculis & partibus, sive omnibus five plurimis, sine quibus Medicina nunquam rationalis, aut Medicus eruditus atque peritus dici potest, studium absolvendi, praxinque exercendi.

S. II.

Mentionem igitur adminiculorum necessariorum, in §o præcedenti dum feci: explicanda sunt illa, quibus studiosus Medicinæ eget, hæc vero, dum plurimis absolvantur §-is, ordo postulat, singulo singulum allegare comma.

S. III.

Inter illa autem primum nobis sese sistit, studium linguarum: hoc enim nostris temporibus summe necessarium esse, extra omnem dubitationem positum censeo. At sermo hic mihi non est de omnibus linguis, quis enim mortalium omnes addiscere quæat linguas? complector, potius sub studio linguarum, medicinæ deditus quibus carere non potest, solummodo Græcam, latinamque linguam. Quamvis enim Italica, Gallica, & Anglicana, multum quoque studium Medicum adjuvare possent, propter scripta eruditissima, iisdem edita, non tamen pro absolute necessariis haberi possunt, propter faciliorrem & communiorem illarum translationem in Latinam aut Vernaculam; unde magis pro ornamento quam fundamento studii Medici inferunt.

S. IV.

Ad linguam græcam quod attinet, illa ad studium Medicum quamvis non equidem absolute necessaria adpareat, utilitas tamen ejus sepe offert summa multis in rebus, multa enim in re Medica occurunt nomina, ortum suum quæ trahunt ex lingua græca: Exempla, qui postulat Brunonis (castelli) Lexicon legat. Præterea, certum cum sit, quod dulcius ex fonte hauriantur aquæ, hinc eam etiam ob causam medicinæ dedito studium græcæ linguæ erit suadendum, quo eo melius libros græco idiomate conscriptos intelligere mentemque auctorum assequi queat; vel adminimum terminos technicos e Medicina nunquam ejiciendos probe intelligere & interpretari, eosque ad verum auctorum sensum applicare valeat. Posset quidam regerere linguam græcam ad studium Medicum plane non esse necessariam, quia scilicet nullus in re medica extaret liber græce conscriptus, cui non addita sit versio latina. Sed respondemus: Licet omnes ac singuli libri græci, versione latina non careant, nemo tamen inficiās ibit, versionem interdum, ne dicam urplurimum in longam aliam abire sententiam, prout ipse textus permittit; Hinc facili negotio quilibet animadvertis; græcam linguam, etiamsi non summe, aliqua tamen ex parte ad studium Medicum esse necessariam: quia ratione etiam hic loci a Medico eruditio non requiro, ut tantam Græcæ linguæ exactitudinem possideat, quo libros vertere aut conscribere valeat, sed tantam solum, quæ de ipso testatur, eum non hospitem esse in hac lingua, ipsumque in tantum capacem reddit, ut graviores aliquando errores in versionibus commissos evitare, sensumque verum eruere possit.

§. V.

Accedimus ad linguam latinam: utilitatem græcæ linguae in sō antecedenti cum adduxerimus, necessitatem latinæ linguae demonstrabimus: unumquemque nobis concedere credimus, hancce linguam, uti in omnibus studiis, sic & in studio Medico summe esse necessariam, satis enim omnibus notum perspectumque est, eruditos hancce linguam ut plurimum tamquam maternam agnoscere, scriptaque stilo romano edere. Nos quidem non abnegamus, quosdam eruditos in edendis libris lingua vernacula uti, hi vero non tantum eruditorum, quam potius plebis, ut credimus, intendunt emolumentum, an vero & quantum intentio hæc pro voto revera succedat, an potius Empiricæ maxime nocivæ januam aperiat, viamque sternat, nimis prolixæ esset in præsentiarum indagationis, unde saltim pro frimo ac vero suppono, quod Eruditorum perplurimi, & qui in specie artis medicæ emolumentum inter Eruditos intendunt, scripta sua litteris exarent latinis; si igitur quidam scripta clarissimorum Virorum romano stilo exarata, pervestigare cupit, hujus linguae vero expers est, nonne hic Sisyphi saxum volvit? Atque ex his prolatis satis superque patere putamus, quam necessarium sit in studio Medico latinam callere linguam.

§. VI.

His vero præmissis alia nobis monstranda sunt, præter hæc adminicula, studium quæ tangunt Medicum. Animus quidem nobis non est, ea, stricte ad Medicinam spectantia adducere, (de his enim in fratribus erit agendum) sed hæc prætermissa nolumus, primaria, quæ vocari merentur.

§. VII.

Studium philosophiae sobrium vel physicum in Medicina multum præstare neminem sane in dubium vocaturum censemus. Certum enim est, Medicum sine studio physices Medicum rationalem adpellari haud mereri, dum hoc studio vires, motusque corporum perquirere atque inventire Medicus valet, per scientiam namque naturalem Medicus non tantum ea, quæ natura sicut recensere potest, sed & addit rationem, quomodo scilicet, & quare ita sicut. Hinc Philosophi statuere non erubescunt, totam eruditio nem in cognitione caussarum & effectuum consistere. Omnes quidem caussas rerum investigare haud valemus, cuilibet enim erit fatendum, nostrum intellectum non ita esse perfectum, ut omnia in rerum natura contingentia, multo minus earum caussas ad subtilissima usque investigare possit. Præterea, multa adhuc in natura novimus absocondita quorum *quidem scimus, rō dīs*, vero nos fugit; hinc etiam Poëta canit: *Felix qui potuit rerum cognoscere caussas.*
 Porro, multa si consideramus in Medicina referenda erunt ad studium physicum. Nonne enim Anatomia, Chymia, inquisitio Materiæ Medicæ &c. &c. ad studium physices pertinent? Dum ab effectu, per experimentum protruso, caussas investigandi ansam habemus. Physica enim firmissimis nisi debet & nititur experimentis, quibus dein certitudo, cognitione rerum naturalium, obtinetur. Erant itaque sibi persuadentes, nullam in physicis fieri posse solidam demonstrationem, omniaque conjecturis tantum, probabilitatibusque nisi; hoc qui statuunt, nullos alios esse credimus, quam, qui campum Pseudophysicorum in-

trantes, animadvertisunt, illos, pro stabilendis thesibus suis, unam alteramve modo causam si adduxere, meritis effectibus ac phenomenis contentos fuisse: neglectis experimentis solidis acquievisse. Quapropter svadendum omnino ducimus: experimentis physicis qui delectatur, sobrie ut illa tractet. Alias falsa pro veris facilime videntur.

§. VIII.

Merito huic studio subjungimus Mechanicum. Utpote quod, uti in omnibus scientiis usum præbet, sic & sine hoc nulla de rebus naturalibus perfecta datur cognitio. Quilibet facile sentiet, hocce vocabulum non stricte hic sumi, pro illa arte, quæ nobis in illis succurrat difficultibus, quas præter naturam molimur, & in quibus naturam ipsam vincimus. Hinc & Mechanici dicebantur: *μηχανικοί*, illi, qui exegitandis artificiosis instrumentis præstabant, quibus onera sublevantur. Sed potius intelligimus Methodum demonstrandendi, qua ad accuratisiam perfectissimam cognitionem veritatum pervenire possumus, omnia enim in hoc studio ita plane ac luculentiter demonstrantur, ut nullum fere dubium restare possit. Præterea structuram corporis accuratius si adspiciamus totum nostrum corpus mechanice structum comprehendemus, silentio prætero, mōrbos etiam dari generationem mechanico-organicam qui agnoscant, hinc & hæc mechanica apud quosdam tantum invenit ad placitum, ut causas omnium pene morborum in partibus solidis confistere existent. Illustris Stahlius hancce imprimis de mechanica mōrborum generatione hypothesin in suis le-
ctu dignissimis Dissertationibus, speciatim in *Dissert. de Moti-*

Motibus humorum Spasmodicis, pag. 44. & seqq. declaravit, humorum congelationes translationesque cœu morborum internorum caussas præcipuas, inde deducens. Sufficiant hæc de Mechanica.

S. IX.

Tandem inter adminicula quasi generaliora referendum studium ratiocinandi, seu Logicum, rectam nobis monstrans ratiocinandi viam, interque obscuros conjecturarum anfractus lumen quasi, in tenebris errantibus accendens. Taceo, hocce studium eruditos distinguere a vulgo, mentionem tantum faciam intellectum nostrum aptum evadere non distinctos solum sibi formare conceptus, sed &, quo valemus ulterius progreedi & in perquisitione veritatum jamjam inventarum alias novasque veritates producere atque propellere. Nemo autem hæc in re magni quid momenti præstabit, nisi antea ipsi curæ sit, vires intellectus rite inquirere, ad illas vero inquirendas studium Logicum adjumentum minime denegabit. Satis hinc inde luculenter patere credimus studiosum Medicinæ & hoc egere studio, quoniam ipsi toto die occurruint casus, non solum in diversis Medicinæ partibus sed in ipsa praxi, ubi ex observatis practicis novas, easque firmas conclusiones formare, easque tamquam novas veritates ad alios casus, analogismum aliquem cum prioribus habentes, applicare debet ac potest.

S. X.

Præmittendis itaque præmissis, illa adducere ad Medicinam stricte quæ spectant animus est; & in antecedentibus cum adminicula necessaria recensuerimus, nunc illæ partes nobis sunt explicandæ, totum medicinæ quæ consti-tuunt ædificium.

B 2

S. XI.

Animum licet non induxerimus strictissime methodum ostendendi, qua studium Medicum sit tractandum, non tamen a tramite nos discessuros esse credimus; si partes Medicinam constituentes, eo ordine in conspectum ponamus, quo tamquam naturali una ex altera fluat, unaque alterius praesentiam ac necessitatem urget; quo intuitu ad Anatomiam nos statim conferre placet. Hocce studium tam multum utilitatis in studio Medico praefert, ut ad fundamenta Medicinæ recenseri mereatur: parum profecto anatomia expers sum in physiologia, quum pathologia, chirurgia, & id genus alia, praestabit. Certum enim si est, anatomiam humani corporis, ejusque partium artificiosam dissectionem & Speculationem esse, sensibus, quæ in iis delitescunt, ut patescant, pleniorque & facilior earundem instituatur curatio; nemo sane dubitat de necessitate hujus studii. Quid enim in Physiologia, quæ statum hominis naturalem tractat, & nexus actionum & officiorum viscerum aliarumque partium corporis monstrat, proficere poterit, qui anatomiam neglexit aut diuersitates in corporibus humanis atque brutinis occurrentes nescit, : cum ex hac situatu, structuram, Nexus usum partium inter se invicem unice adducere posset ac debeat: nonne quasi per somnum audiet differentes Doctores de Usu partium? quas nunquam ipsem inspexit, quarum situm nescit, quarumque strukturam non calleat. Quam quæso utilitatem habebit Medicinæ studiosus ex doctrina Pathologica, Læsiones partium, caussasque læsionum varias atque diversas in partibus sæpe occurrentes tradente? si harum locum, situm, stru-

structuram, variamque dispositionem ad subeundum lăsiones nesciverit: nec sibi distinctam Ideam de modo fiendi lăsionum atque morborum in partibus formare potest, quamvis ea, quæ in Pathologicis dicta sunt, memori teneat mente, nisi ex ipsa inspectione corporis certitudinem Veritatum pathologicarum acquisiverit. Non enim sufficit de congestionibus, Regurgitationibus, Infarctibus sanguinis circa Venam Portæ ejusque confinia audita recensere posse, sed requiritur etiam ab Erudito Peritoque Medico, ut dictorum rationes reddere valeat, quod tamen nunquam præstabit, qui ipsemet distinctum conceptum de rebus in corpore humano obtingentibus non habet. Si autem talis Medicinæ studiosus in Physiologicis & Pathologicis ne firmum quidem gressum facere potest, quid quæso ab illo sperandum erit in ipsa Praxi & Prognosi huic adjungenda? nonne ibi maximas committet hallucinationes, cum totum fundamentum Prognosin & Praxin secundum nexum caussarum deducendi ac dirigendi deficiat. Qualis enim alia accusanda erit caussa, quam inscrita anatomica, tam multi, quod reperiuntur Medici, ægrotos incurabilibus morbis correptos, vana Spe alentes illisque pro certo persuadentes: omnes singulosque se posse sanare morbos, exitus cum tamen falso antea promisis haud quaquam quadret? Unum modo adducere placet exemplum, nimirum, perfecta, ut vocatur phthisis, in plenaria exulceratione pulmonum fere consistens, & physica necessitate incurabilis prout latius illud deduxit Excellentissimus Dominus Præses in Propemptico De Phthiseos Incurabilitate: Dissertationi de Adynamia Artis Medicæ adnexo. Non tamen pauci

B 3 dan-

dantur, gloriātes, hunc morbum plenarie se posse debellare, unde etiam in re medica tantus invenitur farrago remediōrum antiphthisicorum, expectorantium &c. &c. quibus sēpissime majus damnum, quam utilitas agrotantibus adfertur. Et quamvis nosmet ipsi lubenter fateamur, nullum morbum sola notitia anatomica curari atque tolli posse, majori tamen ratione certitudineque illi occurrere poterit Medicus, Anatomica notitia uti decet instructus, ne fama ipsius aut Conscientia périliteretur.

§. XII.

Quid dicām de illis, officium publicum, Physicorum munus, ambientibus, studium vero Anatomicum negligētibus, nonne stultiz nomen incurunt, puto. Nunquam enim sectionem ac inspectionem judicialem suscipere possunt, fama, conscientiāque servata, situm partium earumque naturam ignorantes, adstantibus & præcipitē chirurgis incitiam patēfacent, immo falsum pro vero reddent judicium. Ex ore Excellentissimi Domini Præsidis constat mihi exemplum, de Medico ad sectionem publicam postulato corpus quoddam gladio satis lato transfoſsum, inspiciendi, aperiendique causa: punctus in dextro pectoris latere tertiam inter & quartam fuit costam; in dorso autem prope sub scapulam & ad vertebraim dorsalem ferrum istud letiferum exiit, ubi statim, magna profusione sanguinis animam efflavit: thoracis apertione facta, multus reperiebatur sanguis. Medicus vero maxima præcipitania viscera thoracis absque ulla abstersione sanguinis, exscidit: posteaque verum vulnus ignorans, nihil dixisse videretur, discessam fuisse arteriam subclaviam somniavit. Cum tamen vénam cavam potius dilace-

ra-

ratam & lateraliter discissam fuisse, atque ex illa tantam sanguinis copiam propullulasse, secundum sanam rationem enunciari debuisse. De absolute necessitate anatomiae pro addiscenda chirurgia rationali, qualis in Medico requiritur, verba facere non opus judico, nullum hocce negare perfasus.

S. XIII.

Theoriam Medicam a Medico perito ac rationali se jungi haud posse, quis est, qui in dubium vocat? absque illa enim non rationalis, sed nuda ex ipsis curatio empirica: ad illam vero, non tantum sufficit, notitia status morbi gaudere, sed & sanum statum naturamque hominum nosse necesse est, cuius mentionem aliquam verbo iam fecimus, ubi de necessitate studii anatomici pro felici successu in Physiologicis & Pathologicis, cæterisque Medicinæ partibus primariis egimus. Unde in hoc so de Physiologia qua sanitatem hominis vivi ac sani suppeditat, sermo nobis erit. Cum autem ad officium Medici periti, res variae pertineant, ut tamquam rationalis atque peritus agnoscatur, prælibaris antecedentibus haud euitabilibus partibus, ad Essentiales Medicinæ partes, merito transgreditur, interque illas, ab ea, quam physiologiam modo nominavimus, jure incipimus; quoniam Medico ante omnia incumbit, illius subjecti, circa quod maxime & unice versatur, sufficientem ut possideat cognitionem: quo aptus existat, ut statum sanitatis conservet, ac labefactatum restituat. Quomodo autem aptus erit ad utrumque, si Physiologia ipsum non docuerit partium corporis tam solidarum, quam fluidarum, (quæ ex Anatomicis ipsi innouerunt) mutuum nexum, usum, motum, atque officium,

in

in quo tota vitæ nostræ & sanitatis conservatio consistit: unde etiam physiologiæ tamquam primæ medicinæ parti jure proxime subneccitur. Hygieine, modum in sanis, sanitatem conservandi, per certas indicationes, congruaque media tractans, quid enim hoc in terrarum orbe vitam degentibus svavius, quid dulcius sanitatem? & quid molestius perpetua ægritudine? qua non tantum maximos cruciatus quis habet comites, sed officio suo fungi plane in capax existit. Quam ob cauſam unusquisque fere mortaliū artem corpus in sanitatem conservandi merito addisceret, nonne igitur Medico multo magis curæ sit? utpote cui incumbit sanitatem vitamque conservare hominum. Luculentissime id circa utilitas hujus studii Medici partis, immo absoluta & inevitabilis necessitas eluet.

S. XIV.

Præcipue cum sanitatis ac vita merito opponatur morborum ac mortis tractatio, a Medicis Pathologia dicta, quæ, sicuti Physiologia res secundum naturam tractat, atque per Hygieinem Medico viam naturalem corpus insanitatem conservandi monstrat; ita circa illa, præter naturam in homine occurrentia, uti sunt, cauſæ morbificæ, ipse morbus, tamquam effectus ac symptomata, versatur, & cauſas, præcipue factarum læsionum, atque symptomatum concurrentium aperit, eum in finem, ut tanto facilius per cauſarum sublationem ac remotionem firmum sanitatis restituendæ fundamentum jacere queat. Allatis hisce multas adducere rationes de necessaria præmissione hujus in studio. Medico partis, supervacaneum nobis videtur, cessante enim hoc, nullus fere tolli potest morbus. Nam, ubi deest cognitio vera cauſarum, ibi remedia adæquata

qua^ta caussis opponi non possunt; caussis, ubi remedia non opponuntur, ibi tolli nequeunt; caussæ, ubi non toluntur, ibi effectus Morbosus non cessat. Sequitur exinde Medicum peritum hac scientia minime carcere posse.

§. XV.

Quemadmodum autem necessario scire debet, veras pathematum molestrom caussas Medicus, ita tamen ad restitutionem sanitatis amissæ non sufficit hæc notitia, quamquam ad ordinem in agendo legitimum inveniendum requiratur: Sed expetitur merito etiam in Medico, ut sciat, an homo ægrotet & quomodo ægrotet, id, quod ex certis signorum classib^s deponitur, ab actionibus vitalibus, animalibus, & naturalibus colligendis, quæ ipsum non tantum de ipsa læsione sanitatis, sed etiam de eventu, salutari, lethali, aut periculo, si non semper apodictice, tamen maxime probabiliter certum reddere possunt, quam notitiam scholæ medicæ generali semiotices titulo comprehendunt, eamque in Diagnosticam & Prognosticam dispescunt. De cuius utilitate æque ac necessitate quilibet persvasum certumque existere credimus, cum Medicus in praxi constitutus, hac vero notitia destitutus nullas progressus facere poterit. Semiotica enim vinculum quasi pathologiam inter ac therapiam constituit; nedum lectulis ægrorum Medicus adductus, ne ullum quidem habebit fundamentum concludendi, æger, an vere ægrotet, nec ne? nullas porro proponere valebit ægrotto questiones, de signis ac symptomatibus, quibus de morbi vera præsentia certus fieri possit. Patet exinde, nullam institui posse ad applicationem ad therapiam, deficiente cognitione generali præsentiae status morbos: Hinc

C

Sen-

Sennertus: Quamvis non ob cognitionem curationis, attamen ob curationem ipsam semiotica est necessaria, inquit. Quapropter non irritum judicavimus, hancce necessariis primisque Medicinæ partibus adnumerare.

§. XVI.

Morbum in genere adesse, quamvis scitu necessarium est, tamen non sufficit: varii dum dantur morbi, multaque morborum genera in praxi, quæ probe distingueda sunt, ne in dijudicando morborum Medicus unum habeat pro altero, atque hinc inde minus adæquatas indicationes practicas formet. Ad hoc vero omittendum fugiendumque studium Pathognomonicum, alias Semiotica specialis dictum, necessario requiritur; quoniam, uti proxime antecedens Semiologia, generaliter, ita Pathognomia speci-aliter Diagnosin & quidem de unoquoque morbo in specie suppeditat, & quoniam plures morborum aliquot communia signa habent, e quorum consideratione facile confusio morborum oriri potest, essentialia signa, unicuique morbo propria, unumque ab altero distinguentia, tradit, quo certus esse possit, si non absolute de omnibus, tam de plurimis, hunc & non alium morbum adesse, & tanto certiorem methodum in medendo, secundum causas solennes directam applicare valeat. Medico itaque hujus studii experti difficillimum sane erit dignoscere, quoniam Morbo patientis correptus fit, e contrario modo hunc, modo illuminiorbum adesse putabit, & hoc etiam, uti credimus ratio erit, quod sepiissime quidam simul quando ad unum adducuntur Medici ægrotum, unus huncce, alter alterum adesse sibi persvadeat Morbum; unde non fieri potest, quin ex falsa aliquando Diagnosi, falsa etiam Pro-gno-

gnosis, falsaque Methodus medendi nascatur, & proh dolor s̄epissime antequam duo aut tres Medicorum de veri praesentia Morbi conformes evadant, æger moriatur. At enim vero nihil cum ægrotis pernicioſſimum sit, quam meris, quod efficitur conjecturis, quilibet facile ſentier, hocce ſtudium omni tractandum eſſe diligentia in Academis, ne olim in praxi redundet damnum irreparabile in ægros, & Medicis in praxi conſtituti contemptum aliorum peritiorum, immo ipſius vulgi incurrant, quando in determinatione veri morbi tantis hallucinationibus imperitiam ſuam produnt.

Devolumur denique ad Therapiam generalem, methodum Medicis medendi monſtrante, ut & modum re media adhibendi. Edocet namque illa, quomodo ex notione cauſarum ſecundum rationem atque experientiam proportionatum cauſlaque morbiſe adæquatum inveſniri poſſit remediorum genus, debeatque, & quomodo in genere ipſi formalitatib[us] laſionis curationis genus ſit adpli- candum, certitudinem quoque eventus ſuppeditat, præci- pue experientiaz, dum propria, quin aliorum fide digniſſimorum ſuperstructa. Cum enim Medico nunquam comperat in ſanatione ægrorum quidquam fuſcipere de cuius neceſſitate aut utilitate nec ipſe certus fuerit, nec alios certos reddere poſſit, veneranda antiquitas Medicorum optimo confilio hanc medicinæ partem conſtituit, qua regulas generales ſuppeditaret, ſecundum quas Medicus rationalem ſubſumtionem & conclusionem inſtituere poſſit, quid ipſi faciendum ſit, ad ductum cauſarum, qua vel conservari vel removeri, vel alterari atque corri-

gi debent: id, quod per relationem indicantis, nempe causæ urgentis, Indicationis, quid respectu indicantis faciendum sit, & Indicati, Remedii nempe, quo Indicatio obtineatur, semper observandum indigitarunt. Unde clarissime patet, quod Medicus negligens indicantibus & ex his formandis Indicationibus, nihil plane sit effecturus, quod secundum sanam rationem actum esse dici possit: Unde etiam quotidiani errores inter Medicastros oriuntur, quod ex defectu verarum illarum relationum instituendarum, modo hoc, modo illud remedii genus adhibeant, de cuius tamen necessitate & utilitate, ne minimam quidem a priori reddere possunt rationem, ideoque ne nihil, sed revera multum fecisse videantur, ægrotos per omnes remediiorum classes ducunt, Purgationibus, Venæfessionibus, Vomitoriis, Diaphoresi exerceant, posthabitis omnibus considerationibus, an Materia peccans talis in corpore sit, qualis per hæc evacuationum genera unquam educi possit atque excerni: Sicut ab Excell. Dno, Præside inter alia tale Exemplum relatum audivi de Balneatore quodam, qui sc̄minæ teneriori ac Valetudinariæ, (quæ sub nocte molestia aliqua adficietur, ideoque summo mane hora tertia hujus Medicastri consilium implorabat) statim Vomitorium propinabat post cujus effectum hora octava largiter Venam secabat, hora nona pilulas purgantes exhibebat, post meridiem vero hora quartâ largissimum sudorem exhibito Diaphoretico fonsilio excitabat, & tandem pro viribus per somnum recuperandis versus noctem, largiore Opii dosin propinabat, & ita absoluto cursu remediiorum ipsi usualium felicissime hanc sc̄minam ab omni mundana infelicitate liberabat, quippe quæ non iterum ex-

expergitsebat, sed altero mane a marito in lecto mortuam reperiebatur. Quapropter, ut Medicinæ deditus huic etiam ipsius parti maxime necessariæ omni studio incumbat, si bique habitum tempestive adquirat, omnia in praxi secundum rationes firmas & certas, quantum fieri potest, faciendo, maxime svadendum esse & commendandum existimo.

S. XVIII.

Sicut autem nullus Artifex operæ pretium præstare valet, sine instrumentis, ad artificium & opificium necessariis, quorum indolem & habitudinem perspectam habere debet, ita longe minus Medicus quidquam sine Instrumentis, quæ ipsi Medicamenta sunt præstare potest, (cum Verbis & non Herbis morbos profligare solius DEI sit) sed utique necesse habet, ut per hæc Instrumenta agat, eaque secundum ductum veræ læsionis, & superiori §o. indigitatum ordinem adplicet, quod tamen debite & legitime in effectum deducere nequit, nisi indolem quoque & habitudinem Medicamentorum cognitam habeat: quam ob rem cuique qui recte Medicamentis Medicus, tamquam rationalis uti cupit, etiam incumbere dicimus, eorum nosse faciem externam, dōsin, & quantum fieri potest, partes eorum constitutivas: Primo, ad faciem, quod attinet, ne ex inscitia falsum, eligat pro vero, & sic consequenter loco dōtati atque sperati, vel nullum, vel quod pessimum est, plane contrarium perniciosumque inveniet eventum. Dantur enim inter Pharmacopeos, conscientiae, proh dolor! carentes, qui, genuinum a Medico præscriptum quoddam remedium, aut non habent, aut, (majoris lucri caufsa) vilius quoddam substituunt, atque ita secundum tritum illud: quid, pro quo, sumunt; Hinc Medicus Spe sua sæpe fallitur,

tur, immo interdum pro bono, malum videbit eventum. Nonne itaque Medico circumspecto, conscientiaque rationem habenti, curæ sit; hæcce evitare pericula? Medicamenta enim semei propinata e corpore ægrotantis resumere in viribus illius haud positum est. Quamvis enim optime sciamus, externæ faciei remediorum cognitionem ipsam curationem non efficere, nisi internæ faciei cognitione accedit, nihilominus ab eruditio peritoque Medico hanc etiam notitiam dictas ob rationes merito exposcimus, cum illius officium æque consistat in Directione Pharmacopoëarum, ac in curatione ægrorum: quo respectu huc etiam trahendum est studium Botanicum, quantum nempe respicit Herbas officinales. Secundo, necessario Dosis, uniuscujusque remedii callere debet, praxin exercendi cupiens; multo magis Medicus rationalis, conscientiaque prædictus, qui vult haberi. Si enim proportionate dosis uniuscujusque remedii pro unoquoque individuo instituere ignoret, non solum nihil efficiet, sed & pestis humani generis nomen incurret. Dum minus adæquata dosis, imprimis in excessu peccante, citius ægrototo mortem, quam desideratum finem, sanitatem puto, conciliabit. Tertio, Denique conducit, partes Medicamentorum constitutivas quantum possibile nosse, facilior enim hinc facienda erit conclusio a priori de utilitate atque præstantia hujus vel illius remedii, anatomie quasi illa si probe subjiciantur.

S. XIX.

Ad hoc autem impetrandum Chymia præcipue fœse nobis offert, qua variis adminiculis naturæ abscondita, visceraque perscrutari ac perquirere, commode valens; sunt quidem quidam, studium hocce pro mero putoque studio curi-

curioso, jucundo, amenoque venditantes (quibus & nos, mutatis tamen mutandis, vocabulis nimirum : mero, puto- que, totum concedimus argumentum) at vero nosmet non possumus non usum ejus atque utilitatem in studio agnoscere Medico, varia, multaque dum præbet ægregia Me- dicamenta laudibus suis minime defraudanda quæ sunt ; præterea multa in physicis clariora evadunt adhibito stu- dio Chymico. Abrumpimus igitur filum, §o. 7. de phyli- ca differentes, cum jam Chymia mentionem fecerimus.

S. XX.

Therapiæ specialis mentionem paucis inire, ordo prostulat ; audit illa alias praxis Medica clinica, hanc præcipue ob caussam : Medicus scilicet ægroros lecto adfixos quia invisit, curatque. Et quemadmodum therapia ge- neralis §. 17. a nobis adducta methodum morbos in genere curandi tradit, sic praxis Clinica, de qua hic loci nobis ser- mo est, unumquemque morbum in specie profligare, do- cet. Supervacaneum, irritumque esse existimamus, mul- tis, si necessitatem ac utilitatem hujus medicinæ partis de- monstrare atque probare collaboraremus ; satis enim per- spectum exploratumque est, plurimos Medicinae studiofo- rum hocce studium ambibus attrahere, illudque unice a- dorare, inque illud totam, uti putant eruditioñem colloca- re medicam, neglectis etiam si non plane atque ex toto ma- xima tamen ex parte, reliquis ante adductis, quoniam vero in procœlio hac de re mentio jam facta est, merito hic su- persedemus. Verum enim vero, hos nullos alios esse putamus, quam de pane tantum lucrando, haud vero emo- lumenti ægrorum ac proximorum caussa studium Medi- cum qui addiscere illudque exercere desiderant ; Ast, paulo

paulo penitus, rem si introspiciamus, semetipsoſ ſane, ſpe
fruſtrant ſua, falluntque. Evinctum enim eſſe credimus,
unumquemque Medicum eo melius, certius, immo inter-
dum citius in praxi Clinica facere poſſe progreſſus. antea
reconsiſtis neceſſarii non neglegetis, ſed uero adhibegetis.
Caveo dicere, talem Medicum minime vocari mereri Me-
dicum rationalem, ſed potius titulum nudi Empirici ſibi
met iſpi vindicare. Attendit enim tantummodo remedia
ab aliis circumſpectis uſurpata, rationem vero, cur? quo
tempore? quibus individuis? quibus circumſtantiis? ad-
hibita ſint, nec obſervat, nec rechte obſervare potheſt, fun-
damenta, quibus Medicina niti dehet, quia negligit. Ete-
nim non ſolum experientiam, ſed & rectam rationem, pro
fundamento Medicina agnoscit, ita, ut unum, Salvo medi-
cinæ ſtatu ab altero feſungi nunquam poſſit. Rationem
namque ſi ab experientia feſungamus, nihil, niſi nudam
empiriam remanere videbiimus; porro, experientiam a
ratione avellere ſi quis velit, loco Medici periti expertique
purum putumque habebit philoſophum. Probe igitur
duo hæc fundamenta a Medico eruditio atque circum-
ſpecto combinanda ſunt, facillimo enim negotio quilibet
animadverteret, deficiente uno totum Medicinæ ædificium
labeſfactari corrueſereque.

§. XXI.

De Chirurgia rationali' quædam in medium proferre
animo nobifcum conſtruimus. Dubitet forſan quisquam,
an hujuſ artis notitia a Medico perito expertoque merito
requiratur? at vero non ſine ratione & hoc a Medico re-
quirimus eruditio, certiſſimum enim cum ſit, Medici offi-
cium poſtulare sanitatis hominum, ut curam habeat; il-
lam.

Iamque conservet, labefactata vero restituat. Hoc præ-supposito, omnino patere pro persvaſo habemus; Medico, chirurgicam methodum curandi tanquam alteram Medicinæ manum noſſe, incumbere. Chirurgia autem a Therapia diſſert, quod hæc pro objecto ſpecialiſimo laeſiones agnoſcat internas, ab interna cauſa provenientes, & per internas medicationes profligandas, ad quem etiam ſcopum impetrandum utitur præcipue medicamentis pharmaceuticis internis: illa vero, Chirurgia nimirum, circa laeſiones verſatur externas, ex cauſis plerumque violentis ortum trahentes, manualemque operationem, pharmaceuticis remediiſ non exclusiſ, requirentes. Medico quidem, ſtricte ſi illum ſpectemus, leviffimum vnum-quodque mederi vulnus, ſecundum modernum rerum ſtatutum, haud incumbere optime ſcimus; chirurgis hocce dum potius relinquendum fit. Attamen haud raro, ne dicam ſepiſſime contingit, ut Medicus una cum chirurgo, ad ægrum chirurgi opera egenem melioris ſecuritatis gratia adducatur; curæ ut illiſit, quo tractatione laeſionis eo accuratius meliusque faciat progressus; denique chirurgo a recta via aberranti, genuinam iterum ut monſtret methodum: atque ita pericula ac damañæ ægro imminentia evitentur. Medicus itaque hujus artis expers, nonne ignorantiam ſuam, tum chirurgo, tum aliis proderit? taceam de illis, in publico quodam officio conſtituti qui ſunt, quorum partium eſt, coniunctis chirurgis ſalutis ac fani-tatis hominum chirurgicam operationem implorantium, curam habere; quibus præ aliiſ turpe eſt, ſi ad ægros extenis laeſionibus laborantes vocati Chirurgum inveniant, vel peritum, vel præsumtionem peritiæ de ſe ipſo haben-tem, eique nihil injungere, curamve dirigere audeant, vel plane imperitum, ſi ad manus habeant chirurgum, cui-

consilio præesse deberent, propter imperitiam autem chirurgicam non possunt, quo sèpissime contingit, ut ægri succumbant; aut ex reciprocis consultationibus, ridiculum tandem resulteret consilium, quale aliquando emergebat, ubi Medicus hujus farinæ, similis conditionis chirurgum quærebat, de pede male affecto: *Was meinet der Herr / wenn man den Fuß abnehme?* & responsum obtinebat: *Es kan nicht schaden.*

§. XXII.

Necessariis requisitis ad Medicum peritum pertinentibus unicum adhuc adscribi meretur, Medicina sic dicta Forensis, quæ fundamentum capit ex omnibus ante dictis Medicinæ partibus primariis, Anatomia nempe, Physiologia, Pathologia, semiotica, Praxi clinica, & chirurgia, & ordinarie in casibus judicialibus Decisum format, de Vulnerum lethalitate, suffocatis, strangulatis, Aqua submersis, Infanticidio, aliisque huc pertinentibus rebus. Constat enim, Medico non tantum sanitatem hominum concretam esse, sed & interdum certis sub casibus judicium ab illo exposci; accedit enim, ut aliquis præter omnem spem ac opinionem ex abrupto quasi animam efflasset, quo de casu inspectione prius facta a Medico judicium formandum est, an ille mortuus modo naturali, an vero violentia quadam naturæ debitum reddiderit. Nec rarum est, infantes recens nati, quod inveniantur abjecti, mortuique, patre, matreque ignotis, tunc Medicum a Magistratu accersitum non tantum judicare oportet, an infans lucem adspicerit, & inde a matre occisus sit, an vero in utero diem jam obierit supremum, hoc inquam non tantum a Medico in publico officio constituto requiritur, sed etiam a privatis Medicis, officium publicum nondum gerentibus, haud raro ex poscit, ubi Medicus loci in defectu physici ordinarii, hujus lo-

locum supplere debet, & partim de iis quæ jam allegavimus, partim de pluribus aliis ipsi formandum est judicium: e quibus facile patebit, quod, licet paucissimos saltem casus in Medicina forensi occurrentes attulerimus, illa nihilo minus omni Medico qui Eruditus ac periti nomen gerere gestit, absolute sit necessaria; unde optandum, ut hæc etiam medicina pars in Academiis inter studia Medica non ita postponeretur, sed majori assiduitate tractaretur, ne postmodum in praxi aut officio publico constitutis Medicis contingret, ut in exarandis Relationibus, quæ vitam & sanguinem hominum sèpissime concernunt, tantas committerent hallucinationes, contra principia Anatomica, pathologica & practica impingentes, & animadversiones aliorum peritorum, aut Facultatum Medicarum post se trahentes, quarum varia exempla, apud ZITTMANNVM, AMMANNVM aliasque scriptores legere ac reperire licet.

S. XXIII.

Pertractatis igitur hisce Medico rationali necessariis, monendum nobis esse ducimus, nos voluntario illa, quæ ad ornamentum Medicorum tantummodo quid faciunt. omisisse, illis enim deficientibus, Medicus practicus tamen rationalis, eruditus, expertusque vocandus est. Ad praxin enim feliciter exercendam, quid quæsto iuvat scire, florem esse terrapetalum, hunc pentapetalum, aliud polypetalum; porro, illum esse regularem vel irregularem, & sic porro. Nullum sane exinde Medicus sentiet communum, ad praxin facilitandam interim tamen haud in malam rapere partem, vitioque vertere animus est, si hæcce & id genus alia, Medico Botanico necessaria, didicit, cum uti jamjam antea monuimus ad ornamentum tantummodo Medici spectent.

D 2

S. XXIV.

Hæc itaque sunt, Medicus, quibus necessario eget, rationalis atque expertus eruditusque si esse ac vocari cupit; quibus perlustratis ac recentis, nobis inquirendum erit, an Medicina respectu omnium harum partium adeo brevi temporis spatio addisci possit, nec ne, & an secundum quorundam sententiam disciplina sex Mensium vocari possit? Hancce sententiam temporibus antiquis affirmatam fuisse, multis sane scriptoribus admodum videntur probabile. Audiamus hac de re antiquum illum scriptorem Cœlium L. A. libr. 29. cap. II. p. m. 1119, ubi sic: *Quidam medendi scientiam adsperrnabilem adeo sunt opinati, ut eam sex mensum fecerint disciplinam.* Ex hoc factum esse censemus Medicina prioribus temporibus omnem fere, quod amiserit splendorem fidemque. Kœnigius enim in Theatr. Polit. tripart. part. I. cap. I. S. 357. p. m. 67. inquit: *Medicinam, quamvis apud Habreos & Græcos in summo pretio semper fuit habita, apud romanos tamen a liberalibus artibus, professionibusque fuisse disjunctam: quæ verba & in Acie Disput. polit. method. instr. I. S. 119. iterum repetit.* Et, quid dicam de temporibus antiquis, cum hodie multi medicinæ studiosi hac in re cum antiquis unam eandemque foveant sententiam inque uno consentiant, putantes, sibique firmiter persyadentes studium Medicum brevi admodum temporis spatio esse absolvendum, aut ad minimum non omnes a nobis citatas partes absolute necessarias esse pro studio Medico perfecte absolvendo: Unde haud raro in solis audiendis practicis collegiis, occupati sunt; putantes: hanc (uti vulgo dicitur) Medicinæ Animam, quasi, immediate creari & halitu communiciari posse, quale exemplum non ita dudum MIHI PRÆSIDI obtigit, ubi aliquis, qui vix ad anni spatium & ne

vix

vix quidem studio Medico nomen dederat, ab Academiâ discessurus, ultimum Vale dicebat, & quæsitus, quorum tenderet? agebat: in Patriam se reversum esse, ibique praxin exercitum: Iterum autem interrogatus: An unquam collegium Anatomicum, Pathologicum, aut aliud, practica antecedens audiverit? responsum dabat: quod non sed Physiogiam ad dimidium & Praxin clinicam fere ad finem usque se audivisse, interim tamen ipsum sperare, praxin feliciter cesseram esse, si modo auditis Weisbachii tractatum practicum germanicum ad jungeret, & secundum hunc ductum exercitationes practicas institueret, de quo felici successu tamen ego sane habeo, quod merito dubitem: Unde quosunque Medicinae operam dantes cordate monitos volo, ut caveant, ne illorum festinantium vestigia præmant, sed ordine incedant, omnesque partes ad studium Medicum pertinentes, debita diligentia, non autem perfunctorie trahent neque in studiorum curriculo cirius ad practica quasi ruant, quam sufficienter imbuti fuerint necessariis illis ad miniculis, & fundamentis, sine quibus nulla praxis rationalis unquam sperari potest, (cum in Praxi Medica de corioludatur humano, ac Scientia & Conscientia apud Medicum pari semper passu ambulare debeant) & qua hactenus satis luculenter & debito ordine, quo se invicem excipiunt & excipere debent in conspectum sunt posita.

S. XXV.

Etenim, certissimum cum sit, naturam nihil facere per saltum, sed ad unamquamque actionem debitum require tempus, ita & in studio Medico non omnia adducta simul & semel per breve tempus addisci possunt: patet inde, illos, qui nimia festinatione, vel tempus studio in genere impendendum, vel partium studii simultaneam coacervati-

onem, considerando, studium tractant, immo absolvunt Medicum, quosdam vel plane negligere omittereque, vel tantum obiter tractare partes. An vero hi inter eruditos, expertos atque peritos sint collocandi referendique Medicos, an vero nomine solum Medicinæ Doctores vocari mereantur, aliorum judicio relictum volumus, firmiter persuasi, unumquemque ex rationibus hac in tractatione adductis facile judicium hac de re facere posse, interim tamen nostrum si quis desiderat judicium, lubentissime fatemur, deficiente unica dictarum partium in Medico, illum nullatenus talem, quamlibet nos desideramus, videlicet eruditum atque peritum vocandum, nominandumque esse.

§. XXVI. Nec & nos a scopo aberrare credimus, si haec tenus dicta in summam quasi colligendo statuamus, nullam fere aliam caussam esse accusandam quam festinationem, per derelictionem unius aut alterius partis commissam, defectus eruditorum Medicorum : ubi enim partes labant, summa turbatur, hinc Medicina non potest non mutila ac manca evadere ; nimia festinatione hocce si tractetur studium. De damno hujus festinationis multa in medium ulterius proferre inconveniens opinamur ; sufficit, quod diximus, summa hujus damni capita, e quibus, innumera alia deduci possunt, luculentissime probantia talem festinationem, quamlibet descripsimus studio Medico esse intensissimam. Præterea cum in tractatione hujus Dissertatio-
nis sœpissime mentionem illius fecerimus institutique ratio plura adducere non permittit filum abrumpimus. Summo Numini interim gratias habemus humillimas, vires, quod nobis largitus fuerit huic nostri labori, quo feliciter imponi potverit.

F. I. N. I. S.



ULB Halle
003 133 117

3



Distro ✓

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

19

18

17

16

15

14

13

12

11

10

9

8

7

6

5

4

3

2

1

Centimetres

3.
DISSESSATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

**FESTINATIONE
STUDIO MEDICO
INFENSISSIMA**

Quam
PROPITIO NUMINE DIVINO

ET
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

P R A E S I D E

DN. GEORG. DANIEL. COSCHWITZ,
MED. DOCT. EJUSDEMQUE IN ALMA FRIDERICIANA
PROFESSOR PUBL. ORDIN. ET POTENTISSIMI PORUSSOR.
REGIS IN COMITATV MANSFELD. ET APUD
PALATINOS HALENS. PHYSICO MERITISSIMO,
PATRONO, PRÆCEPTORE, HOSPITE AC PROMOTORE
AD URNAM USQUE SINGULARI HONORIS
CULTU COLENDO

PRO GRADU DOCTORIS,

Summisque in Arte Medica Honoribus, insignibus, ac Privilegiis,
More Majorum solenni obtinendis

Heris locoq[ue] confuetis Anno M DCC XXI D. April.
Placidæ Eruditorum disquisitioni submitter

AUCTOR RESPONSURUS

JOANNES GEORGIUS ZANDER,
SPANDQVIENSIS.

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis GEORGI JACOBI LEHMANNII, Acad. Typogr.*

